



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dispositio Et Perioche Historiae Evangelicae Per IIII.  
Euangelistas contextæ, necnon Actuum apostoloru[m],  
Epistolaru[m] quoq[ue] Pauli XIII. & Canonicaru[m] VII.**

**Bullinger, Heinrich**

**Tigvri, 1553**

**VD16 B 9605**

14 Argvmentvm Epistolæ S. Pavli Ad Hebræos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35634**

EPISTOLA PAULI

ritatis insigne, cum uir tantus furacis hominis caussam tanto sibi ardore sumit agendam. Erudimur illa ipse lapsis nō denegandam esse ueniam, si modo resipiscant. Breuiter thesaurum cum eruditionis tum pietatis non epistolam dicet quisquis hoc breue Pauli scriptum propius expenderit.

14

ARGUMENTVM EPISTOLAE S. PAULI AD HEBRAEOS.

*Euangeliū.*

**T**RIA sunt quæ hac tractantur epistola. Principio enim monet ne reijciant Christū Iudæi, neq; aspernentur euangelij negotium per incredulitatem: quandoquidem angelis potentior sit, & Mose maior, angelorum etiã dominus, & deus conditor: nihil interim eleuante eius maiestatem humana natura, quam sibi ex Abrahamæ traxerit prosapia. Considerent autem miserum maiorum suorum exemplum, quorum murmur, perfidia & incredulitas misere sit multata in deserto: unde consentaneum sit ipsos pessime nunc quoq; habituros, si ipsum uerbum dei uiuum, ipsumq; dei filium perrexerint cōtemnere. Et hæc agit per integra prima quatuor capita. Nimirum aduersus eos sic perorans, qui Christum aspernantes obijciebant, Nos Mosi discipuli sumus,

cui per angelos loquutus est deus, hunc uero Iesum unde sit aut quis sit nescimus, pergemus ergo in uijs patrum nostrorum. Quo simul & infirmos, primumq; Christo ex Iudaismo imitatos & rudes, à ueritate auertebant euangelica: quos interim Paulus istis suis & firmare & in uera religione officioq; retinere contendit.

Deinde uero uelut hypotyposi quadã ob oculos po-  
nit, sacerdotium Aharonicum prorsus fuisse umbram, Sacerdo-  
Christum autem uerum esse sacerdotẽ, ab ipso deo iure-  
iurando creatum, neq; secundum ordinem Aharon, sed  
secundum ordinem Melchizedek ordinatum, Leuitis  
maiolem & meliorem: utpote cuius sacerdotium sit  
& ἀπαράβατον & sempiternum. Antiquitas igitur  
esse umbras, cum sacerdotij tum sacrificij. Sacrificiũ.  
Quippe cum ueterum sacrificia, non minus quã sacerdotium, fue-  
rint inefficacia & typi Christi, qui sit uera hostia uni-  
ca & sempiterna pro peccatis totius mundi. Hæc au-  
tem doctissime simul & copiosissime tractat per initium  
capitis quinti, (nam in fine, & per integrum cap.  
sextum digreditur) item per integrum caput 7. 8. 9.  
& decimi mediam partem. Planè aduersus eos qui ni-  
tebantur cremonijs, sacerdotio, & sacrificijs: qui cla-  
mitabant Christiana religione omnem semel tolli di-  
uinum cultum, omnem uetustatem & gentis gloriam.  
His igitur commonstrat, in Christo omnem esse pleni-

EPIST. PAULI AD HEB.

tudinem & legis perfectionem, ut qui Christum per fidem possideat, is dei gloriam, & sacerdotem & hostiam absolutissime possideat.

**Fides.**

Postremo adhibitis calcaribus urget eos ad fidendam Christo sacerdoti unico & hostiæ perpetuæ. Esse enim fidem illam omnium ab exordio mundi iustorum veterum, ueram religionem, qua illi deo seruiuerint, et in qua multa perstiterint patientia. Patientia ergo hic quoque opus esse & constantia: ad quam deinde multis hortatur exemplis, iudicijs, similibus. Nam mire torquebatur qui à Mose descuerant ad Christum.

Ad finem autem epistolæ, per integrum uidelicet cap. 13. Appendicis loco, subdit breues quosdam, ueluti Aphorismos, sententias & institutiones. Hoc uero totius epistolæ argumentum est.

**Phrasis.**

Dictio uero pura est, grauis, dilucida, euidēs & propria. Genus autem orationis mixtum est. Nam epistolæ medium, genus agnoscit didacticum. Docet enim Apostolus ueluti demonstratiua contentione, ueterū umbras, quoad sacerdotium & sacrificium, prorsus abolitas, Christum uero esse uerum sacerdotem & æternam hostiam. At initium epistolæ & finis, sub genus referuntur Deliberatiuum. Nam utraq; parte hortatur, illic ne Christum reiciant, hic autem ut Christo fidant, & per patientiam in ueritate persistent.

SEQVVN